





1767. 28.
SPECIMEN IVRIS SAXONICI,

Q V O

NATVRAM
PIGNORIS GERMANICI
IN RE OPPIGNORATA CASV FORTVITO
PENES CREDITOREM INTEREVNTE IVRE SAX.
ELECT. HAVD MVTATAM ESSE,
DEMONSTRATVR,

ad illustrandam Const. Sax. Elect. XXVI. P. II.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
P R A E S I D E
AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE
ANTIQUITATVM IVRIS PROFESSORE PVBLICO, SOCIETATIS
LATINAE IENENSIS COLLEGA

DIE XVII. OCTOBRIS CIDI⁰CCLXVII.

H. L. Q. C.

DEFENDET

AVCTOR

CHRISTIANVS TRAVGOTT BAHRDT,

SCHOENFELDA - MISNICVS.

LIPSI AE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

SPECIMEN IVRIS Saxonici

670

NATURALIA

PIGNORIS GERMANICI

IN RE PIGNORATA CASSIUS PORTVITIO

REBUS CREDITORI INTERVENE IVRE SAX

PLECT. HAVD MUTATAM ESSE

REMOVETATAM

In

REBUS INTERVENE ORDINE

ACTORIS

P. A. T. S. I. D. E.

AVGUSTO BRUNICO SCHOTT

IN

REBUS CREDITORI INTERVENE

REMOVETATAM ESSE

REMOVETATAM ESSE

REMOVETATAM ESSE

ACTORIS

CHRISTIANUS TRAVOGOT BARDET

REMOVETATAM ESSE

L. I. P. S. I. A.

EX OFFICINA





§. I.

Pignoris naturam apud Germanos antiqui ac mediæ aevi populos si non omnes, certe plurimos; inprimis apud Saxones, hanc fuisse, ut in creditorem ipsam rei oppignorata dominium transferretur, reuocabile quidem ac temporarium, quod cum reuisione aut sublata obligatione debitoris corrueret, omni dubio carere arbitror. Id enim et expressa legum patriarum verba loquuntur, et effectus, quos iura Germanica pignori tribuunt, factis demonstrant. Scilicet in SPEC. SAX. lib. II. Art. XXIV. modis amittendi dominium pignus factis clare adnumeratur: *Ein jeglich Mann, scribit speculator, mag seines Guts mit Recht wol an und losf werden, als, ob er es verkaufft, verferzet, oder aufseset, oder dasf er es verjabret etc.* Atque re oppignorata casu fortuito perunte creditoris esse damnum, aperte declarat alio loco ^{a)}, quod non aliter potest explicari, nisi de dominio in creditorem translato; cum solus dominus casum sentiat. Addunt nonnulli et hoc ad probandum creditoris dominium, quod si pignus haud consentiente debitore in tertii possessoris manus peruenisset, debitor non potuerit rem a tertio possessore vindicare, sed solum creditorem actione pulsare, propter ea, quae SPEC. SAX.

A 2

lib.

a) SPEC. SAXON. lib. III. art. V.



lib. II. art. 60. leguntur. Sed id agunt refragante iuris analogia, cum idem de commodato dicatur, cuius quidem dominium in creditorem transire nemo idixerit: ut adeo adpareat, hoc ius, quod debitori pignoratitio aequae ac commodanti rei vindicationem contra tertium possessorem denegat, et natam inde regulam iuris Lubecensis: *Hand musf Hand wabren*, non tam dominii amissionem inuoluere, quam potius fidei Germanorum summae, ut, cuius fidem aliquis semel secutus sit, eandem etiam in posterum in repetenda re sua sequatur, nec non commerciorum fauoris luculentum esse indicium. Quicquid sit, validioribus argumentis cum causa defendi possit, quid opus ad infirmiora recurrere? Euolue, qui plura atque doctiora de natura pignoris Germanici scire aues, principes de hac re scriptores, GVNDLINGIVM^{b)}, THOMASIVM^{c)}, POTTGIES. SERVVM^{d)}, FRICCIVM^{e)}, AYRERVVM^{f)}, atque RICCI-VM^{g)}. Nostri non est, quae ab aliis centies dicta sunt, repetere: sufficit pauca delibasse, quae futurae nostrae disputationi inseruiant.

§. II.

Longe alia est ratio atque conditio cum creditoris, tum debitoris in pignore Romano, quod nullum plane ius praeter nudam custodiam securitatis causa habendam creditori in re oppignorata tribuit, adeo, ut nihil, quod dominium sapiat, ac ne usum quidem, nisi singulari pacto antichretico adiecto, ipsi habere liceat, sed omnia, excepta possessione, maneat debitoris. *L. 35. §. 1. D. h. t. §. 6. I. de obligat. quae ex del. nasc.* Aliquam cum pignore Germanico similitudinem habuit olim contractus fiduciae Romanorum, iure nouo abrogatus, in eo tamen diffe-

b) GVNDLINGIVS de iure oppignorati territorii.

c) THOMASIVS de usu practico distinctionis inter emtionem cum pacto de retrouendendo et contractum pignoratitium.

d) POTTGIESSERVS de indole et natura pignoris, quoad ius gen-

tium, iura et consuetudines Germaniae.

e) FRICCIVS de different. iur. Rom. et Germ. circa pignus in manus traditum.

f) AYRERI different. iur. Rom. et Germ. circa pignora.

g) RICCIVS de dominio pignoris Germanici.

differebat ab illo, quod vsus non transiret cum dominio in creditorem. Hisce igitur temporibus pignus dupliciter constitui potuit, vel nuda traditione rei, vel interposita fiducia: illa solum custodiam rei creditori dedit, haec et dominium absque tamen fructus percipiendi facultate in eundem transtulit. Postquam autem fiduciae contractus, quem *CONRADIVS*^{h)} bel-
 listime ex antiquitate eruit, exoleuit, non nisi vna, prior nempe, species pignoris Romani Iustiniani aeuo remansit. Conueniunt igitur Romana et Germanica pignora in fine, qui securitate creditoris absoluitur, at potestate, qua idem gaudet, toto ea differre coelo, quilibet intelligit, cum in illo nullum, in hoc temporarium dominium vsque ad reuolutionem duraturum in creditorem deuoluatur.

§. III.

Cum autem tam diuersa sit vtriusue pignoris natura, non potest non magna etiam effectuum varietas inde oriri. Certe quae creditori tribuuntur iura in pignore germanico propter dominium, ea a pignore Romano abesse oportet. Quod in primis cernitur in periculo rei oppignoratae casu fortuito intereuntis, de quo breuis disputatio a nobis iam instituenda est. Hoc enim quis ferre debeat, creditor, an debitor, aliter Romanis placuit, aliter nostris visum est maioribus. Scilicet dijudicanda erat haec caussa ex firmissimo principio, casum sentire dominum. Iam vero alium esse dominum pignoris Romani, alium pignoris Germanici, illius quidem manere debitorem, huius fieri creditorem, licet ad tempus, vidimus. Sic igitur in pignore Romano omne damnum, quod citra dolum aut culpam saltem leuem creditoris accidit, hoc est, periculum a casu fortuito, vel, quae cum hoc comparatur, culpa leuissima proueniens, non ad creditorem, sed ad solum debitorem pertinet, ita, vt nec creditor amissa re oppignorata absque sua culpa eius pretium refundere teneatur, nec debitor a soluendi obligatione liberetur, nisi aliter inter partes conuenerit. In quam

A 3

fen-

h) *CONRADI diff. duae de pacto fiduciae.*



sententiam ALEXANDER Aug. ¹⁾ bis rescriptit. At patrum
ius, quod dominium tribuit creditori pignoratitio, a peregrino
in decidenda hac quaestione plane recedit, cum re oppignora-
ta casu pereunte omne damnatum creditoris vult dominum esse
jubeat. Conspirat hic amicissime utrinque medii aevi specu-
lum, SAXONICVM AC SVEVICVM. In illo quidem res ita
decisa legitur: ²⁾ *was man aber dem mann zu gebrauchen leiber,
oder zu Pfand versetzt, das sol er unverderbt wieder bringen
dem, der es ihm liehe, oder versetzte, oder sol es ihm gelten
nach seinen Würden. Stirbt aber ein Pferd, oder ein Viehe in
der Versatzunge ohne jenes Schuld, der es unter ihm hatte, be-
weist er das, und thar auch sein Recht dazu thun, das es obn sein
Verwahrlosung gestorben sey, er giebt es ihm nicht, der hat aber
sein Geld verloren, da es ihm vor versetzt stunde, ihr Gelubde
stünde denn anders.* Distiguit speculator, res oppignorata cul-
pa creditoris, an casu peierit, vel corrupta fuerit. Si prius,
creditorum ad damnum debitoris refarciendum adstringit. Cur
autem hoc, cum creditor tamen iure Germanico et imprimis
Saxonico dominus pignoris esse dicatur? An dominus re sua
abutens alicui obligatur? Nonne cuilibet in re sua facere li-
cet, quod placet? Nempe hoc non ita intelligendum est, quasi
debitor sit dominus rei oppignoratae, cum potius illud omnino
creditor translatum acceperit. Sed cum dominium creditoris
ex intentione paciscentium tantum temporarium esse debeat,
quod cum ipsa obligatione debitoris corruat, iure reluendi ean-
dem, quam oppignoravit, speciem debitori salvo, restrictum
sane hoc dominium esse, nemo non intelligit, propterea quod
finito rei nexu eadem species debitori est restituenda, quae

¹⁾ ALEXANDER in L. V. C. de
pignor. act. ita: Si creditor sine vitio
suo argentum pignori datum perdidit,
restituere id non cogitur. Et in L. VI.
C. eo. sic: Quae fortuitis casibus occi-
dunt, cum praecideri non poterint,
(in quibus etiam aggressura latronum
est) nullo bonae fidei iudicio praestantur.

et ideo creditor pignora, quae hu-
iusmodi casu interierunt, praestare non
compellitur, nec a petitione debiti sub-
mouetur, nisi inter contrahentes pla-
cuerit, ut amissio pignorum liberet de-
bitorem.

²⁾ SPECVLVM SAX. lib. III.
Act. V. ubi titulus



❖ ❖ ❖ 7

creditori obligata fuit. Hinc cauendum omnino est creditori, ne sua culpa rem oppignoratam detrimentum capere patiatur, et iuri debitoris aliquid detrahat. Nam quamuis creditor sit dominus pignoris, tamen cum debitor gaudeat iure illud post tempus aliquod recuperandi, ille iis effectibus proprietatis carere omnino debet, qui ad abusum rei pertinent. Itaque quod SPECVLATOR SAXO asserit, creditorem debere luere omne damnum in re oppignorata factum, quod ipsi imputari possit, id quidem natura pignoris Germanici iam docet, nec pugnat cum dominii ratione. De altera specie vero interitus vel corruptionis rei pignori datae, quae casu fortuito contingit, vt morte animalium, recte statuitur, creditoris omne damnum esse intelligendum, ita quidem, vt debitor a soluenda forte liberetur, ipse tamen creditor pretium rei amissae haud restituat, nisi partibus aliud placuerit in conuentione exprimere. Sic enim fert dominii indoles, vt casum sentiat dominus. Ergo creditor propter dominii ius, quod habet ad tempus in re oppignorata, damnum fatale omnino ferre debet, quod quidem alia ratione sentire nequit, quam iure sortem, in cuius securitatem pignus acceperat, repetendi amisso. Quod autem idem ad pretium rei casu perditae debitori refundendum non aequè obligetur, ac si ea culpa perierit, id non indicat, debitorem fuisse dominum, sed eius ius rei huius dominium reuoluntione recuperandi propterea extinctum censerit, quod partim creditori interitus speciei, ad quam solam debitoris facultas restricta fuerat, non imputari possit, partim ius debitoris repetendi rem oppignoratam a solutione fortis demum incipiat, quam tamen creditor hoc casu non recipit. Eadem repetit SPECVLATOR SVEVVS¹⁾ in eo solo recedens a SAXONE, vt creditori ta-

1) SPECVLVM SVEVIC. Cap. CCXLVII. §. 4—6. edit. LAHRII in KOENIGII a KOENIGSTHAL Corp. Iur. Germ. med. aeni, Ton. II. Verba haec sunt §. 4. verſetzer ein man dem andern ein Pferd um Pfening, und stirbet das in seiner Gewalt

on sein Schuld, das ist der gemein tad, er soll es nit gelten §. 5. Er verleeuet aber die Pfening, dye er darauf geliehen hatt. Ir gelubte stand dem anders. §. 6. Vnd hat er aber bürger darauß genommen, die sollen in nit recht sein Pfening widergeben.



men ius crediti non perire affirmet, quando praeter pignus etiam fideiussores acceperit.

§. IV.

Haec autem, quam proposuimus, iuris Germanici et inprimis Saxonici ratio de casu rei oppignoratae creditoris ius auferente, num in nostra adhuc Saxonia vim habeat adcommo-
dationis? a nobis nunc vel ideo quaerendum est, quod ipso cla-
rissimo recentioris legislationis Saxonicae sancito ea sublata esse videtur. Nempe extat in pulcherrimo Constitutionum Saxoni-
carum corpore placitum^{m)}, cuius verba haec sunt: *In gemeinen Kayserlichen Rechten hat es nicht Zweifel, dasf solches verlobren-
nen Pfandes Schaden der Schuldner als des Pfandes eigentüm-
licher Herr tragen musf. Aber nach Saechfischen Recht ist sol-
che Frage nicht fast richtig. Dann obwohl daselbst versehen,
dasf der Glaebiger den Verlust des Pfandes nicht gelten dörfse,
wen das Pfand ohne seine Schuld um- und wegkoinmet, so ist
dennoch darneben auch verordnet, dasf er gleichwohl sein Geld
auch verlobren haben soll. Weil aber solche Ordnung nicht al-
lein den gemeldten Kayserlichen sondern auch den natürlichen Rechten
erwas zuwider laufft; so wollen wir auf unert haenige Er-
innerung vnserer Verordneten, die Disposition des Sachsen Rechts,
in diesem Fall hiermit aufgehoben, demselbigen derogiret und ge-
ordnet haben, dasf fort an nach gemeinen Kayserlichen Rechten
diesfals gesprochen und erkannt werden solle.* Hic igitur cum
iuris Saxonici prouincialis in decidenda hac quaestione rationi-
bus omnis expresse denegetur in posterum vis atque potestas,
credat aliquis primum hanc legem perlegens; noui quid contra
ius medii aevi introductum et naturam pignoris Germanici im-
mutatam esse, adeo, vt nullius pignoris interitu ius creditoris
fortem cum vsuris a debitore repetendi pereat, quae est com-
munis interpretum horumque antesignani, CARPZOVII^{o)} opinio.

§. V.

m) CONSTIT. SAX. ELECT. XXVI. P. II.

n) Intellige Speculi Saxonici di-
positionem.

o) CARPZOVIVS in *Desuit. sa-
renf. Confit.* XXVI. P. II. Def.

❖ ❖ ❖ ❖

illud cum nulli... §. I. V. *Vasgulem* pignoris in Germania
Sed salua res est. Quid si nos demonstramus, hanc Constitutio-
nem de alia plane specie esse conceptam, quam quae apud Speculato-
rem Saxonicum occurrit? Nempe quemadmodum iuris Romani et
Germanici confusio multa iuris recentioris capita et difficilia et obscu-
ra reddidit, ita factum est, vt natura pignoris Romani et Germanici
ab interpretibus eorum temporum, quibus ius Romanus vires cepit
in Germania, non separata, vtriusque iura haud raro commisceren-
tur eorumque interpretatio difficillima efficeretur. Cum enim re-
cepto iure peregrino mox mores patrii negligenter et omnia, etiam
ea, quae minime conueniebant, ex Romanis legibus diiudicarentur,
coeperunt interpretes, natura pignoris Germanici a Romano plane
diuersa posthabita, eius iura ex corpore iuris Iustiniani repetere, cum
que animaduertent, sollemne Romanis pactum de retrouendendo
aliquam cum pignore Germanico in eo habere similitudinem, quod
vtroque transferatur dominium temporarium, etsi ambo negotia ipsa
paciscentium intentione differre, nemo negauerit, ipsis vero nulla nisi
Romana nomina placerent, hoc, quod Germanis pignus erat, ne-
gotium sensim retrouenditionis appellatione complecti non dubita-
runt: quid? accedente ex iuris canonici principiis nimio vsurarum
odio, fictae retrouenditionis pallio callide indutum fuit pignus Ger-
manicum. Cui nomini mox aduersi Icti omnia pignora cum trans-
latione domini temporarii coniuncta, *retrouenditiones* (*Wiederkaeu-
fe*) et dixerunt, et finxerunt, adeo, vt *pignoris* appellatio in huius
generis negotiis fere non amplius audiretur, sed ea tantum sensu Ro-
mano male acciperetur, et sub pignore semper Romanum intellige-
retur. Haec autem nominis confusio peperit ipsorum iurium mix-
turam, cum interpretes de Romano tantum pignore cogitantes, quo-
ties in Germanis legibus pignoris mentionem factam deprehendissent,
idem negotium, quod Romanis hac appellatione veniebat, indicari
existimarent, et omnia haec ex Romanis legibus diiudicari cuperent.
Tale quid etiam in hac constitutione Saxonica factum esse arbitror,
ita quidem, vt natura pignoris Germanici quoad eius periculum mu-
tata esse videatur, licet vere integram et saluam hac lege relictam fuisse,



adcuratori lectione intelligatur. Ex verbis enim illius tuto colligitur, eos, qui ferendae legi occasionem dederunt, existimasse, in Speculi Saxonici loco commemorato eam pignoris speciem occurrere, quae Romanis propria fuit, cui omnino contrarium foret, ut creditor extincta casu fortuito re oppignorata ius crediti amittat, cum nullo is gaudeat dominio, et hanc ob causam sententiam iuris provincialis mutandam censuisse. Quae quidem interpretatio variis argumentis partim ex ipsa Constitutione, partim ex Consultationibus Constitutionum Saxonicarum, utut purissimo Constitutionum a Diuo Augusto promulgatarum fonte, depromtis confirmatur, de quibus singulis breuiter videamus.

§. VI.

Quod autem hac in lege aliter intellecta fuerit iuris Saxonici dispositio, ac mens speculatoris vellet, nempe de pignore Romano, cum is de Germanico dixisset, tria sunt in ipsa Constitutione, quae mihi persuadeant. Nam cum primaria ratio corrigendi ius vetus ex dominio debitoris verbis: *Das solches verlobrnen Pfandes Schaden der Schuldner, als des Pfandes EIGENTHVMLICHER HERR tragen mus*, ibi repetatur, facile patet, totam hanc abrogationem nihil obesse iuris provincialis sancito, quod de pignore, cuius dominium temporarium in creditorem transit, praecipit. Deinde prouocatur potissimum ad iuris Romani rationes, quibus consuetudo Saxonica contraria pronuntiatur: *weil aber solche Ordnung nicht allein den GEMEINEN KAYSERLICHEN RECHTEN etwas zurider laeuft*. Quomodo vero iuri Romano dispositio, quae nullam eius tollit rationem, qualis est decisio quaestionis de periculo rei secundum mores Germanorum, hoc est, cum dominii translatione oppignoratae ad creditorem pertinente a speculatore facta, ad uersari dicitur? Nonne mentio iuris Romani in lege electorali occurrens satis indicat, locum Speculi Saxonici, quem de pignore Germanico agere constat, de pignore tamen Romano explicatum fuisse, cuius naturae is propterea repugnaret, quod illud nunquam inuoluat dominium? Sic vero non aduersatur iuri Romano, immo potius ad eius rationes ea diiudicari plane nequit, cum in pignore Germa-

Germanico creditor domini iure gaudeat, ex cuius ipsa adeo natura fluit, ut idem casum sentiat. Magnum denique pondus nostrae sententiae hoc addit, quod commorata constitutio speculatori repugnantiam cum iure naturali objiciat: *sondern auch den NATURLICHEN RECHTEN etwas zuwider laeuft*. Nempe iuris naturalis ratio vult, ut dominus damnum casu fortuito suae rei illatum solus ferat, quia, cum propter imputationis defectum a nemine laesum se dicere possit, nullum ab aliis illud repetendi ius ipsi competit. Quod si igitur affirmaueris, placitum iuris Saxonici, ut creditor pignoratitius casum rei sibi obligatae sentiat, a iuris naturalis regulis alienum esse, quid aliud cupis, quam debitorem retinere dominium pignoris, nec illud in creditorem transire? Quod cum verum sit in pignore Romano, non etiam in Germanico, ubi creditor potius fit dominus, intelligitur, haec legi electorali non aliam ob causam inserta fuisse, quam quod speculatoris mens ad pignus Romanum, de quo tamen is non cogitavit, spectare crederetur. Ergo ne hoc quidem argumento naturae pignoris Germanici in Saxonia aliquid detractum esse constat.

§. VII.

Haec autem omnia, quae de vero sensu legis electoralis diximus, magis adhuc confirmantur CONSULTATIONIBVS CONSTITUTIONVM SAXONICARVM in consilium adhibitis. Ibi enim P) non solum omnes has rationes iam propositas leges, quae in ipsam constitutionem deinde translatae fuerunt, sed mos etiam auctorum harum Consultationum, quem cum sui aevi Ictis communem habebant, pignoris nomine semper pignus Romanum, nunquam Germanicum complectendi Q), satis declarat, eos dispositionem speculi Saxonici circa rei oppignoratae interitum fatalem de pignore Romano citra verum illius sensum intellexisse, eandemque sententiam, ut fere omnia, quae ab illis in hoc opere proposita sunt, postea in constitutionum corpus migrasse.

§. VIII.

Ex his igitur, quae super Constitutionis Saxonicae sensu disputauimus, tuto colligi arbitror, nihil noui ea introductum, nec litteram

p) CONSULTAT. CONST. SAXON. Vol. II. Part. I. Qu. LXI.

q) Exempla habes in Vol. I. P. I. Qu. LII. et in Vol. II. P. I. Qu. LX.

2

ram quidem Speculi Saxonici circa quaestionem de casu fortuito in re oppignorata contingente mutatam esse, sed omnia potius integra relicta. Nam cum omnes, quae ibi enarrantur, rationes, ob quas Speculatoris sententia abrogata in posterum esse iubetur, ex natura pignoris Romani petitae sint, cuius longe alia est indoles, ac eius negotii, quod Germani hoc nomine appellarunt, facile est perspectu, mentem legislatoris hanc fuisse, ut dispositio iuris provincialis tolleretur, quatenus ea de pignore Romano concepta censeretur. Iam vero haec ratio non tangit speculatorem, quippe qui nullum nisi Germanicum pignus propter sui seculi mores intelligere potuit, cum damnum ex rei oppignoratae interitu fortuito proueniens creditori tribuerit. Sed sola potius Ictorum tum temporis Germanorum opinio, pignoris vocabulo semper Romanum negotium indicari, et nunquam Germanicum, quod sub retrouenditionis Romanae pallio latere incipiebat, effecisse videtur, ut locus speculi Saxonici aliter, ac auctor eius uoluerat, in lege electorali acciperetur. Ergo nec nouum ius, quam quod antea iam obtinuerat, in Saxonia hac constitutione inuectum, nec Speculi Saxonici sancitum mutatum esse mihi persuadeo, licet prima fronte ita forte videatur. Non nouum ius statutum fuit, quia iam antea diuersa erant pignoris Romani a Germanico iura, ita quidem, ut in illo, de quo solo constitutio praecipit, periculum rei oppignoratae etiam in Saxonia recepto iure Romano non apud creditorem, sed apud solum debitorem esset. Nec mutatam villo modo esse hac lege iuris provincialis dispositionem ideo censeo, quod lex abrogans de alio plane negotio, nempe de pignore Romano, concepta sit, quam de quo ius abrogandum statuerat, nempe de eo negotio, quod Germanis olim pignus vocabatur, quod et hodie sub retrouenditionis nomine et simulacro frequenter celebratur, in quo quin adhuc Speculatoris sententia de periculo rei ad creditorem emtoris personam iustinentem transeunte, locum habeat, nullus dubito affirmare.

T H E S E S :

- I. Testamenta non sunt iuris naturalis.
- II. Donatio sine acceptatione non valet.
- III. Ebrio omnia facta imputari possunt.

ULB Halle
003 719 014


3



1078







1767, 28.

VRIS SAXONICI,
RVO

VRAM
GERMANICI

ATA CASV FORTVITO
INTEREVNTE IVRE SAX.
MVTATAM ESSE,
STRATVR,

Sax. Elect. XXVI. P. II.

TORVM ORDINIS
ORITATE
E S I D E

DERICO SCHOTT

RIS VTRIVSQVE DOCTORE
OFESSORE PVBLICO, SOCIETATIS
ENENSIS COLLEGA

ORIS CIDIQCCLXVII.
L. Q. C.

E N D E T
VCTOR

RAVGOTT BAHRDT,
LDA - MISNICVS.

PSIAE
A LANGENHEMIA.

L. Jappo.